



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 15. Bulla a Nicolao V. pro Mendicantibus edita a Callisto III. confirmata

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

Sæcul. XV. societate exclusos. Evidem Ordinum  
A.C. 1456. Mendicantium Religiosi huic tribunali  
 se sistere non dubitarunt; verum cum  
 Academiæ decreto obedire recusarent,  
 tanquam perjuri, & ab universitatis cor-  
 pore abscissi declarati sunt.

## §. XV.

*Bulla a Nicolao V. pro Mendicantibus edita a Callisto confirmata.*

Religiosi Mendicantes Constitutionis revocationem urgere haud solliciti, Callistum Papam adeunt, Academiæ Parisiensis agendi rationem conquesti; nec irrito conatu; obtinuerunt enim a Pontifice Bullam, qua non solum Nicolai V. Constitutio confirmata, sed etiam cuncta ab Academia contra Religiosos attentata, nulla atque irrita fuere declarata. Quæ res non parum offendit Academiam, nec tamen propterea vel latum unquem a concepta decessit sententia; quocirca Religiosi alias concordiæ vias quærere compulsi sunt; Cum vero Rhemensis Archiepiscopus, Parisiensis Episcopus atque Senatus hanc litem componendam sibi fumerent, præprimis Mendicantibus proposuerunt, ut hac Constitutione nullum sibi novum jus acquisitum esse profiterentur: Verum hæc ipsa propositio, cum captiosa videretur, recepta non est.

Paulo

Paulo post cum plura alia concordiae me- secul. XV.  
A.C. 1456.  
dia proposita fuissent, pariter tamen re-  
jecta, tandem Religiosis Mendicantibus  
suadebant, ut hujus Bullæ discussionem  
ad futurum Concilium reinitterent, in-  
terea vero ipsi Concilii Lateranensis de-  
finitioni, ac Ecclesiæ Gallicanæ judicio  
adhærerent. Attamen cum Mendican-  
tibus hæc conditio minus arrideret, ei-  
que sese subjicere omnino recusarent, a-  
crius contendentium exarsere studia.

### §. XVI.

*Bulla per aliam huic contrariam a  
Pontifice revocata.*

Callistus Papa ad sedandas hasce turbas  
haud opportunius invenit medium,  
quam Constitutionis abrogationem, quo-  
circa hoc ipso anno in Mense Septembri  
aliam edidit Bullam, qua bono pacis  
consulturus, omnia revocavit privilegia  
Clementinæ Constitutioni *Dudum* adver-  
santia, eamque exacte observari præce-  
pit. Hæc Pontificis Bulla ad Universi-  
tatem directa die tertia Februarii anno  
sequenti lecta est; quo facto, Religiosi  
Mendicantes, ut pristinis Academiæ præ-  
rogativis restituerentur, sese submittere  
statuunt; id ut facilius impetrarent, Ar-  
ti, seu Arthuri Britanniæ Principis, Ri-  
chemundi Comitis, necnon Franciæ Con-

H h 2                   nesta-